IN FUNERE

EMINENTISSIMI AC REVERENDISSIMI PRINCIPIS

D. PLACIDI ZURLA

S. R. E. CARDINALIS

VICE SACRA URBIS ANTISTITIS

ET SUPREMI CONSILII

AD STUDIA IN PONTIFICIA DITIONE REGUNDA PRAEFECTI

ORATIO

HABITA IN TEMPLO ARCHIGYMNASII ROMANI

AB

ANGELO VINCENTIO MODENA

ORDINIS PRAEDICATORUM

THEOLOGIAE TRADENDAE DOCTORE DECURIALI

DECIMO SEXTO KALENDAS FEBRUARII MDCCCXXXV.

ROMAE

EXCUDEBAT JOANNES OLIVERIUS

ROMANI ARCHIGYMNASII TYPOGRAPHUS.

ORATIO

Inclytum hoc Numinis majestate, sapientiae, politiorumque litterarum splendore celeberrimum, tum illustrium aevo quoque virorum frequentia ornatissimum gloriae Templum lugendi potius, quam fandi animo ubi primum adirem; squallor undique ac maeror tristissimus atria, frontem, monumenta, sacrosque parietes circumvestiens doloris vi ac magnitudine pectus obruit, vehementerque permovit. Anceps ob id feralia hujusmodi inexorabilis ac dirae mortis spolia intuitus quid rei foret, aut quae comploranda a nobis hodierno funere calamitas, ad aram protinus rogaturus accessi. Et ecce visa est mihi ante oculos, Reginae ad instar atroci vulnere sauciae, a vertice ad pedes candido amicta velamine, dejecto vultu, fixisque solo luminibus angorem premere, rigare lacrymis ora Religio; illique adstantes quaerulae atque maestissimae acerbi luctus comites ingenuae quaeque hinc artium optimarum, illinc disciplinarum nobiliorum facies, quae decus nuper praesidium atque ornamentum, fato heu! misero teterrimoque, extinctum lugent. Excita porro murmura inter ac gemitus ea lamentabilis vox erupit: qui mare, qui terras haud præpeti gressu, celerive navigio, sed acie ingenii, pennisque non hominum cuique datis lustrare pridem dexter assueverat, totque majorum inita dudum ea de re tentamina, itinera, laborumque portenta ignaris adhuc posteris reserabat; qui Cœlum ipsum sublimioris sapientiae fulgidissimo sidere auspicante conscendere, atque illinc retrusa inaccessa mortalibus arcana Numinis referens, aureo prorsus germanae Fidei Cultoribus stilo, ignitumque coelestis pietatis ardorem spirantibus verbis effundere, illustrare, ac tueri alacer gestiebat; jamque multiplici doctrinae omnis, uberrimaeque eruditionis vena ditissimus, ab Adriae littore ad oras usque Italiae extremas, transque alpes ubique fere nominis, virtutis, pulcherrimeque factorum celebritate claruerat; Is demum honoribus, dignitate, muneribus cumulatus amplissime, hisque in exemplum diu sancteque perfunctus, PLACIDUS nempe S. R. E. Cardinalis ZURLA ademptus nobis, ereptus litteris, bonis artibus potissimumque Religioni e vita excessit. Oh tristem luctuosamque non hominis dicam, sed Pa-

triae ac Gentis aerumnam! oh grave non Urbi solum, sed Christi Ecclesiae universae infortunium! At nobis interea ad quos certe pars magna illius jacturae debuit pervenire, quod jam illustris atque immortalis Viri nil superest reliqui, nisi recte praeclareque ab illo factorum eximia recordatio; haec ideo post salutarem propitiamque Coelo Victimam mox litatam, infixum animo dolorem temperet; quamquam non is, fateor, ego sum, qui vel industriae artificiis exornare, aut graphicis ingeniosae eloquentiae coloribus pingere Imaginem illius possim, quem nulla forte aequabit copia, neque excellentia laudatorum. Vestram ob id PP. Auditoresque sapientissimi imprimis deprecor obtestorque humanitatem, ut cum hic satis demandato mihi muneri faciendum aggredior, et virium quoad fert tenuitas, studiose enitor, si longe admodum ab argumenti magnitudine, loci hujus dignitate, ac vestrum omnium seu desiderio, seu aliquantula expectatione abludere mea haec vobis rudis incomptaque dicendi ratio videbitur; non rei hercle exiguitati, sed minus equidem quam par esset, solerti laudatoris ingenio, ac partim etiam instanti fugae temporis indulgere velitis. Ea confestim, ut alias hoc ipso in loco tum venia, tum comitate benigne a vobis habitus, dum hic erigor planeque reficior; mox jam breviterque PLACIDUM ZURLA spectandum omnibus luculenter exhibeo, ut qui de Patria optime, de Christi vero Ecclesia universaque Religione abunde excellenter mirifice sit promeritus.

Ac ne morosus quispiam obducta fronte, contractoque supercilio laudationem hanc exordienti mihi aveat succensere, quod hominem scilicet uti Patriae devinctissimum, deque illa praeclare meritum verbis extollam, qui vix ex ephebis domi excedens, cretus licet claro Majorum sanguine, atque inclytae sobolis primigenius, eidem attamen Avorum gloriae, dein Patriae ipsi inter Insubriae Civitates oppido florentissimae, atque omnibus denique, quotquot natu illustribus ferax honorum divitiarumque saeculum pollicetur, commodis fortunis oblectamentis penitus valedicere, ac strenue dare terga constituit, ut se procul a suis, procul ab hominum contubernio in arctam abderet solitudinem; norit apprime, norit is velim hac se gerendi aequa omnino ac consultissima ratione, cui obtrectare sciolorum, detrahere vero impudentium reor, Patriae revera cum bono, tum incremento ac faustitati ZURLAM magnopere inservisse. Quid enim? an ii dumtaxat Gentibus, Im-

periis, Civitatibus prodesse dicuntur, qui vel agrorum culturae, vel artibus civilibusque commerciis, aut rei utcumque seu publicae, seu familiari administrandae augendae assiduam, sedulamque operam navant? et hic paotis negociisve in nundinis, vel emporio transigendis, gravibus illic in foro quaestionibus acerrime exagitandis, et quod plerumque formidolosum exitiale mortalibus ingruit Regum, Populorumve aut incolumitati, aut neci praeliis committendis animum, nervos, vitamque ipsam horrendo plane discrimine impendunt? vel minus aliquid in Familiae, Societatis, Reique publicae emolumenti collatum iri ab aliis existimemus, qui opibus, facultatibus, ac vel honestis plerisque saeculi oblectationibus invicte posthabitis, Deo primum intimo ex corde se dedant, ut magnam illinc omnigenaeque utilitatis effectricem scientiam hauriant, caeteris quibusque hominum ad perennis aevi salutem, plerumque etiam ad fugacis vitae hujus commoda erogandam? atqui revera ejusmodi plane sunt, seque nobis in omne tempus exhibuere quotquot ab civium tumultu segregem in sacris illis virtutis atque Evangelicae perfectionis Cohortibus solitariam vivendi formam instituunt. Perspicax igitur, ut erat, ingenio, bonamque ab natura sortitus indolem, agnovit haec protinus ZURLA; nec mora: Regii vatis fatidicum illud secum animo reputans: = *haec est generatio quaerentium Dominum* = ovanti ad eam alacritate ac laetitia convolavit.

Neque hic porro quid magni antea sive gesserit, seu preclare molitus fuerit, referam, ea primum in Urbe litterarum gloria spectatissima, quam Athesis mediam interfluit, cum adolescens decoram illic studiorum Palæstram navus adiret; aut Lares postmodum diviti comparata cultioris eruditionis suppellectile repetens, ut obluctanti Parenti amantissimae pium sese, nec validum minus deprecatorem praebuerit, quo in abdicanda splendidiori fortuna, seque Numini devovendo, sui compos efficeretur. Haec inquam, ut alia, quae vix claros inter BENEDICTI magni Alumnos sub ROMUALDI viri sanctissimi disciplina adlectus naviter insigniterque perfecit, ne hic singula memorem, duo potissimum faciunt: labentis horae angustia, et, quae altiora undique emergunt, gestorum sublimium enarratio. His namque adamussim vix emenso Religionis ac litterarum tyrocinio, ceu solidum auri vas omni lapide pretioso refulgens PLACIDUS hic splendide emicat, expertus adeo animi

3

dotibus, quae mentis sunt, humanisque perpetuo nexu divina componere, ut hinc eximiae in Deum pietatis, captandae illinc operosae utcumque sapientiae exemplar se proderet absolutissimum. Non aliam vero hic recolo, nisi omnium Principem, Aeternique, ut Salomon ait, solio adsidentem sapientiam, quae Paulo imprimis Doctore, ad omnia est utilis, quaeque infinitus hominibus est thesaurus, ut Deo primum, sibique ac Patriae diu, honeste, ac feliciter vivant?

Age jam nunc quid demum quantumve strenuo apprime illius saluberrimæ doctrinæ cultori solerti adeo ab cura exercitatione ac officio rediret compendii, videamus. Jam Muriani, quæ est ad gallicas paludes insula, quo sacris initio Camaldulensium in aedibus sanctioris vitæ Institutum fuerat auspicatus, humanis pridem ac philosophicis disciplinis excultus egregie, deque iis publico ad Palestræ morem exantlato periculo, divina intueor vehementius imisque a visceribus inhiantem; tum iis, ætheriis velut haustibus, affluentem profectibus instrui, ornari præconiis, celsissimisque loquentis Numinis oraculis enucleandis expediendis apprime disertum, exedra mox suos inter potiri. Aurea, prope dixerim, præclarissimæ, cui nomen dederat, sodalitati ætas, tunc temporis volvebatur, fastosque ævi anteacti oppido insignes, novis in dies virtutis, sapientiæ, meritorumque accessionibus locupletabant Viri quamplurimi ingenio, Religione, doctrinaque spectatissimi, quorum agmen, rutilans velut jubar, MAURUS ille CAPPELLARIUS ducebat, GREGORII nunc SEXTIDECIMI auspicatissimo nomine, Christianique Imperii Principatu Augustus, Felix, Sacratissimus. In hunc igitur, cui belle admodum spei nobilissimæ adolescens vetus illud accomodarat = *Exemplo tangi non propiore potes* = in hunc statim oculos, mentem, cogitatusque animi omnes defigere; huic se arctiori planeque individuo amicitiae nexu adjungere, eidemque presso hærere vestigio, et ad grandia quæque conari, id ZURLAE antiquius, suave, jucundissimum erat. Quid porro flagranti adeo ad pietatem, omnigenamque eruditionem proficiendi studio, mira prorsus alacritate, enixaque contentione, quid nactus denique cœlestium charismatum, graviorumque disciplinarum strenuus æmulator fuit? Scilicet domesticorum parietum egressa fines, ac late jam crebrescente clari nominis fama, nedum ab suis, sed et ab exteris, ut divinarum quarumcumque rerum scientissimus coli,

ac magnopere admirari est visus. Testes hoc loco fas mihi appellare quotquot Venetias per ea tempora seu dignitatis amplitudine, seu litterarum ornamentis, aut alia quavis laudis existimatione honestabant; summosque imprimis vel Imperantes, vel Religionis Antistites a quibus tanti virtus ejus eximia, tum acre judicium habebatur, ut illimet salebrosa plerumque negocia ultro committerent, ac fidei mox, dexteritatique ejusdem peropportune concredita, optimo inde consilio extricata gratularentur.

Verum quid adhuc hæc moror, cum a me hactenus veluti cursim e flosculis delibata, meritorum illustrium clarorumque facinorum nonnisi primordia praeferant, aliis longe clarissimis ad gloriae cumulum decoranda? his enim vero, qui uni pridem, ut vis praestanti ac nobilissimae innotuerat civitati, aut regioni, in publicum dein Italiae totius, quin immo et cultioris, qua late patet, Europae conspectum lucemque se prodidit. Ratum videlicet ad quartum usque Christiani nominis saeculum doctis quibusque, ac geographicæ eruditionis apprime guaris, *qui fragilem truci commisit pelago ratem*, ut ab Hesperiae littore ad Gangis oras penes extremos Indos appelleret, nautam primum fuisse Lusitanum, a quo jampridem audacter genio praeclarissimo, conatu maximo, tum industria, infractaque animi constantia, ac labore pene incredibili luctantium ventorum ira, furentium turbinum aestu, saevissimarumque procellarum horrore spreto, immanibusque periculis perardua illa et inita fortiter, et absoluta secundo plane exitu profectio est. Atqui tamen adortae, ac prodigio ferme exantlatae navigationis illius partem nec modicam sibi jamdudum Majores nostri aequissimo jure vindicant; quod longe antea detectae ab Italis, accurateque descriptae regionis illius tabulae extent ac monumenta omni quidem exceptione majora. Nec quod archetypa illorum pluteis diu abdita, aut scriniorum pulvere exesa, ac temporis injuria pene detrita jacerent, quidquam ex eo seu mirabilium inventorum, seu laudis ob id promeritae, Patriæ ademptum putem. Verum, ut ea ipsa ingrata nimis ex oblivione emergerent, optimoque in lumine denuo collocata reviviscerent, magnopere cupiit, vehementer adlaboravit, plausuque ingenuo sapientum, ac litteratorum omnium eruditissime perfecit ZURLA. Sat quippe, ne quis hoc loci aut vana fingere ostenta, aut temere bonae cujuspiam credulitati imponere me velle existimet,

sat, inquam, vel obiter ea, mente recolere quae tanto Viro auctore de accuratissimo Mauri illius, illustris maxime saeculo decimo et quinto Caenobitae Planisferio, publici sunt juris facta.

Sed levis interim, ultro addam confidenterque, levis haec fuit ZURLAE majora de se adhuc pollicito, in stadio litterarum excursio. Quo etenim tot tantaque in id moliminis ab se ingeniose excogitata, ex ordine distributa, eleganterque deprompta solidissimo, penitusque ineluctabili robore firmarentur, ad alia impiger mentem, curas, conatus omnes quam libentissime adjecit.

Prodeunt hinc solertium vestigationum, severiorisque criticae praeeunte face Marci primum Poli doctissimis lucubrationibus edita, ac pristinae ob id evidentiae praestantique utilitati egregie restituta itineraria; opus hercle ut quodvis maxime difficillimum, tenebris, undique vetustatis obsitum, salebris impeditissimum. Ast illimet decurialium apud Gottingam doctorum rogatu perhonorifico, adhuc uberius explanando, novum, ut ita dicam, in veteri opus cudere, quo certe eruditorum quorumque judicio Marsdenio anglo scriptori idipsum aggresso palmam praeripuit; tum Contii Nicolai, Antonii Zeni viatorum Venetos inter illustrium per Indum mare ad usque Ceylani oras itinera exornat, ac verso tramite ad eam excurrit regionem, cui postmodum novae Franciae, aliamque cui Estotilandiae ab iis nomen factum; queis nimirum profectionibus Venetos illos Etrusco Nautae ac Januensi novo Orbi diu ante detegundo praeivisse contendit. Sed quid demum, quid adhuc plura, cum ea haec tantaque sint, quae Civium cuique abunde forent sive ad optime de Patria merendum, sive ad eximiam, eamque perennem nominis claritatem comparandam?

Esto. At bene licet hoc habeat, plura interim, majora etiam, vere dicam spondet, enititur, perficit ZURLA. Non ea tamen singula persequi est animus quae vel attingere cum rerum copia ac magnitudine, tum praefinita orationi brevitate prohibeor. Tacitus itaque hic mox praeteream ut ut laudatissimas Venetae Urbis tabulas idrograficas, seu grati animi officio concinnata ab ipso summorum aliquot virorum, ac Purpuratorum Patrum elogia, aut res ab iis praeclare gestas perpolitis editas commentariis. Atram vero totque ingruentium Christi Ecclesiae, sacrisque Religiosorum caetibus calamitatum feracissimam aetatem illam lubentius adhuc silentio contegam, cum ineunte primum, taque

iterum decennali vix saeculi spatio revoluto, afflictis undique Christianis ac civilibus rebus nefariorum hominum impetu, eversa, protrita, profligataque jacerent omnia. Et iis namque gravissimis licet pressus aerumnis haud unquam vel leviter intermisso de Patria merendi studio impense flagrans emicuit ZURLA, seu cum nobilium Adolescentum ad Muriani Coenobium constituit Ephebeum, seu cum admotus Venetorum Antistitum exquisitissimo sane delectu Virginibus Deo sacris ad Evangelicae perfectionis metam provehendis moderandisque, aut demum cum summis iisdem Praesulibus demandantibus puriora eaque saluberrima Ethicae Christianae instituta juvenes sacrorum administros, spem scilicet Ecclesiae virescentem edocebat. Haec AA. bonis, ac verae sapientibus quibusque exosculanda nisi aptissima ad homines demerendos videantur, quid satis denique ea ipsa de re nobis futurum penitus non intelligo. Ac si forte cuipiam seu malae mentis, seu delicatioris fastidii Aristarcho parvi adhuc pendenda quae diximus videbuntur; eja, inquam, quem jure extollo praestantem eruditissimum plane Virum late quantumlibet fama nominis celebrem, novum insuper illumque ampliorem gloriae campum adeuntem protinus intueatur.

Haud ullum sane seu gloriae aucupium, seu excellentiae, dignitatisve captandae insolens desiderium hominis animum vellicabat, cum ille primum terrarum dominam Gentiumque Urbem hanc invisendam constituit. Sed Romam interim, vix pene a limine salutanti egregio clarissimoque Viro, et praemia doctarum frontium, et summa dein virtutis juxta ac honoris fastigia parabantur. Jam summus immortalisque memoriæ Pontifex PIUS ab nomine SEPTIMUS rerum hominumque aequissimus aestimator, ZURLAM confestim favore, gratia, beneficiis ornare gestit. Sacris plerisque in Coetibus Ecclesiae negotiis librandis dirimendisque locum eidem honestissimum esse jubet. Tum perinsigni Alumnorum Collegii ab Christiano nomine propagando Praesidem studiorum decernit; ac nondum interim absoluto ex quo Romam attigerat biennio, in splendidissimum, augustumque Patrum purpuratorum Senatum PLACIDUM ZURLA jure meritissimo cooptatum oraculo suo edicit. Oh factum bene, liberaliter, sapientissime! Parta haec vero non opibus, non adsentatione, non ambitu, sed virtute doctrina ac promeritis dignitatis amplissimae celsitudo; ingenuum hominem ac modestissimum adeo non extulit, ut quanto magis eidem efferen-

do officia muneribus, honores honoribus cumulabantur, eo ipse et modis humanior, et comitate facilior, et pronior cuique suavi benevolentia videretur. Haud ergo mirum, si praefulgentibus adeo tot mentis animique dotibus omnibus charus, LEONI vero XII. Christianæ Reipublicæ Hierarchæ Principi fieret acceptissimus, abquo vice sacra Urbis Antistes merito renunciatur.

Jamque AA. hic certe esset locus, atque aditus pateret opportunissimus ad eam laudis insignem praedicationem, quam sibi ZURLA jamprideni adeptam gratulabatur amore, obsequio, studioque in orthodoxam Religionem flagrantissimo. Caelestem etenim illius originem praeclaram undique excellentiam, divinamque sublimitatem ab Aquinatis Doctoris Angelici aureis voluminibus, vel ab juventa mirifice edoctus; cum illi se tantopere elatum colendae ac propugnandae solemniori adegisset sacramento; quid mox inausum, quidve intentatum dimisit unquam ut decus Fidei, ejusque dogmatibus, praeceptionibus, atque ritibus prorsus intemeratum perpetuo custodiretur? Huc nempe, huc denique spectabant omnia seu themata illa doctissimarum lucubrationum semel, iterumque ab eo in nobilissima catholicae Religionis Academia praelecta; seu nova in perillustri ad S. Apollinaris Clericorum Athenaeo christianarum antiquitatum, rituumque sacrorum erecta Magisteria; atque artium insuper optimarum cultus, auspicium clientela; ut nonnullorum aevi hujus inscitiam, dicacitatem, criminationesque retunderet, qui ad conflandam Christianæ Religioni invidiam, artibus iisdem velut infestam ac prope inimicam Religionem ipsam traducere, ac probris etiam insectari non erubescunt. Mendax nimirum dicterium, tum atrox illud convicium nullo pacto ferendum, novis adhuc gravissimisque animadversionibus acerrimi vir ingenii dispulit; cum Apelleæ artis portento disseruit illam explicans Urbinatis Tabulam quæ Christum Thabor vertice Deitatis gloria undique radiantem ad vivum exhibet; dumque aliud Italici aetate nostra Phidiae splendidissimum Pietatis monumentum acumine, sagacitate, amore haud certe absimili nuperrime illustrabat. Mirum interea ac valde hoc mirum tanta haec strenue feliciterque molitum ZURLA, cum oppido ingenti curarum mole, in sacris quae ad animarum regimen pertinent administrandis gravissime distineretur Quae nihilominus ut missa faciam, in causa est quod pleraque jam in omnium fere vestrum oculos

incurrerint, crebrisque adhuc sermonibus usurpentur. Sat eapropter, ut brevi omnia complectamur, id publico efferre testimonio quod probatissimo omnium calculo compertum est, arduo scilicet utvis etiam perhonorifico illi muneri obeundo, magnæ prodigum animæ pium sanctumque Antistitem talem sese benignitate, prudentia, vigilantia præbuisse, cujusmodi nobis eloquentissime ab Isocrates Nazianzeno magnus ille describitur Athanasius = moribus scilicet mansuetus, ab ira alienus, ad miserationem propensus, sermone jucundus, animo angelicus, in increpando placidus, in laudando erudiendi vim habens; et sic utrumque temperans, ut neutrum horum per immoderationem labefactaret = (*) Queis hercle AA. eximiis sane dotibus pulcherrimisque ornamentis quidni obsequium, reverentiam, amorem denique apud omnes continuo excitaret sui? En igitur eo jam captus, praeclare, secum egisse putat OCTAVUS PIUS, dum graviorum disciplinarum cultui, cum litterarum eruditione jungendo providentissime consulturus, PLACIDUM ZURLA studiis quibusque in Pontificia Ditione regundis illico praeficit. Haec nos, imo vero quoscumque honestissimos scientiarum Cultores honoris amplissimi significatio spe ac laetitia protinus affecit maxima, nec unquam imposterum seu Pontificis sagacissimi, seu nostram fefellit expectationem, quidquid ab Viro sapientissimo, ad litterarum artiumque incrementum excogitatum, atque mirifice perfectum est. Utinam hinc rebus ille nostris adeo impense, alacriter adeo prospiciens, diu adhuc nestorea senecta floruisset! sed heu dirum, nullique in terris superabile fatum! qui felix adeo, fortunatusque uberrimo jucundissimo gestiebat gaudio Principem Maximumque Christiani Gregis Pastorem veneratus, quem anteactae totius fere vitæ comitem, amicum, fratrem haud Instituti modo, sed et amoris arctissimaeque necessitudinis perdilexerat; qui ob sacri muneris dignitatem uno tantum Regni solio hic distare ab summo illo, sanctissimoque Magni GREGORII successore videbatur; totque ab ipso cum generosae, tum singularis benevolentiae testimoniis cumulatissime auctus fuerat; is demum gloriae virtutisque fastigium homines inter adeptus, in arce ipsa honoris, excellentiae, ac ma-

(*) *Orat. 21. De laud. magn. Athan.*

gnitudinis, invidae mortis jaculo perculsus miserrime concidit. Heu ictus! heu funus Patriae, Religioni, ac bonis omnibus acerbissimum! Nec TE igitur labentem PLACIDE tua plurima pietas, neque amicorum qui TE coluerant desiderium, nec denique Superum amor texit! vix ab Trinacriae littore, levibus par ventis, infandi casus rumor tristissimus ad aures nostras pervenit; et ecce Urbs tota maerore confecta obstupuit. Et quantus illico luctus factus est omnium! qui maeror, quaeque doloris sponte erumpentis significatio omnium animos vultusque pervasit! Ac multis ille tam flebilis occumbens, paucis quam mihi ac toti, creditae, Guzmanae soboli flebilior abiit, queis Auspex diu, Patronusque, imo vero et Parens extitit amantissimus. Quidni ergo et omnibus charus, nunc autem tam lacrymando interitu perdolendus? sed jam sat lacrymis, sat dolori hucusque datum. Quem enim Virum elatum nuper, nobisque ereptum hactenus indoluimus, ut Deo magis quam sibi in hac aerumnarum sede vixit, pio nunc sensu Numinis gloria perbeatum fidenter dicimus, jure etiam, divina justis opitulante Religione speramus.

Tuam hic ergo Viri preclari, Parentis optimi anima dulcissima, incomparabilis non tam jacturam lugentes, quam electorum adeptae abs te faustitati et praemio gratulantes, id pronis, id crebris atque inhiantibus votis ab immortali saeculorum Rege flagitamus, ut quam in terris tantopere adamasti, aeternum Tibi astra petenti pax alma renideat, illamque ut olim in suavissimo coelestium benedictionum calice libare, haurire, adeo feliciter assueveras, Tua nunc velis apud Omnipotentem gratia, atque praesidio Pastori Summo, tum Rei universae Christianae, ac civili dono optatissimo adprecari.